



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

60. An Dæmoniacy, Energumeny, & Arreptites sint irregulares, si omninò à
vexatione Dæmonis liberati sunt? Et notatur, quod Dæmoniacus post
Ordines susceptos illis abstinere debet; ubi tamen curati ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

3. Vide etiam circa præsentem quæstionem Bau-
nium in *Theol. Moral.* *lib. 2. tit. 1. q. 42.* Marchinum
de *Sacram. Ord.* *tr. 1. part. 10. cap. 3. num. 1.* ubi asserit:
quod servus ordinatus nesciente, aut contradicente
domino, deponitur, *cap. servorum, de servis non or-
dinand. cap. Servi, 6. Nulli de servili, c. Quicumque cap.
de servili, c. Nullus Episcoporum, dist. 54.* Quæ do-
ctrina accipienda est cum hac distinctione. Si servus
iste domino ignorante, vel contradicente, solis mino-
ribus initietur, debet, sicut prius inservire: Si verò
maiores Ordines receperit, jus retinet, ut dato pretio,
vel simili servo fiat liber. Interim verò, etiamsi esset
factus Sacerdos, debet servire in iis, quæ Sacerdotalem
statum non dedecent. Navarrus in *Man.* *c. 15. n. 103.*
§. 16. Henriquez de *Irregularitate*, *cap. 8. n. 7.* Avila
de *censuris*, *part. 7. disp. 3. dub. ult.*

4. Quod si Episcopus alterius servum scienter or-
dinaverit, absente, vel ignorante domino, servus fit
liber; sed Episcopus duplicatum domino pretium
reddere tenetur, *c. si servus absente, dist. 54. cap. per
venerabilem, vers. Præterea, qui filii sui legitimi.* Item
si servus, scienter, vel non contradicente domino, Or-
dines recipit, libertatem secundum omnes consequi-
tur; sed circa præsentem quæstionem ne deferat vi-
dere Avilam de *Censur.* *part. 7. disp. 3. dub. ult.*

RESOL. LVIII.

An qui cedit bonis, fiat irregularis?

Et quid, si cessio sit ignominiosa?

Et inter alia, qua pro irregularitate ex infamia docen-
tur, tandem advertitur, quod istius fustium per se non
infamat, nisi quando ex causa famosa quis fustibus
ceditur, neque enim omne turpe factum infamat, sed
ad solum turpe famosum, quod jus notat. Ex *part. 7.*
tract. 8. Resol. 22.

§. 1. Licet cessio bonorum non careat fugillatione,
ut patet ex *Novella 135. c. 1. §. 1. Instit. quibus
ex causis manumitt.* tamen bonis cedentes dicendum
non esse irregulares, quia non sunt infames, nec talis
cessio infamiam irrogat, ut habetur in *l. 1. C. ex quibus
caus. infam. & l. ult. C. qui bon. ced. poss.* & docet Tho.
Maulius *tract. de cess. bon. tit. 6. n. 7.* & Vltic. Hunnius
in *Encyclop. jur. part. 2. tit. 27. n. 16.* ubi citat Straccham,
Menochium, Paponium, & Brunum.

2. Sed difficultas est, de his qui cedunt bonis
cessione ignominiosa, & affirmativè respondet Majolus
de *irregular. lib. 2. cap. 11. num. 16.* ubi sic ait:
Quæ omnia vera esse intelligo in cessione, juxta *cap.*
Odoardus, at in cessione ignominiosa, quæ in secu-
lari foro fieri consuevit, si quis eo modo cesserit di-
xerim eum non admitti ad ordines, sicut nec reli-
quos infames. Ita ille.

3. Sed ut verum fatear contra sententiam Majoli
habeo difficultatem; nam certum est, ex *c. is qui, de
sent. excomm. in 6.* quod nulla irregularitas incur-
ritur nisi sit in jure expressa: sed ego non invenio
textus imponentes irregularitatem cedenti bonis ces-
sione ignominiosa. Ergo.

4. Dices adesse jura, quæ asserunt infames non
esse ordinandos. Respondeo cum Marchino de *Sacr.*
Ordinis, *tr. 1. part. 10. cap. 4. num. 4.* & aliis commu-
niter; quod infamia inducens irregularitatem est tri-
plex juris, facti, & artis ignominiosæ. Infamia de
qua loquimur non potest oriri ex arte ignominiosa,
quia cedens bonis nullam artem exercet, neque exer-
cuit. Non ad infamiam facti, quæ ut talis sit, debet
oriri ex delicto ut omnes consentunt; sed cedens bonis
cessione ignominiosa nullum committit delictum,

sed vitur beneficio legis. Et tandem infamia hæc
non potest dici infamia juris, nam in nulla lege talis
infamia invenitur irrogata: Ergo ex nullo capite ce-
dens bonis cessione ignominiosa videtur irregularis.
Nec obstat, quod tales infames existimantur, nam ex
opinionem hominum non potest irregularitas, nam ex
alioquin etiam viri nobiles recusantes acceptare ducl-
lum, essent arcendi à sacris Ordinibus tanquam irre-
gulares ut plurimum, vel qui invenit sororem cum
amatio, & injuriam condonavit, non posset Ordini-
bus initiari. Igitur infamiam inflatam à legibus, &
non ex existimatione hominum dicendum est irre-
gularitatem irrogare.

5. Confirmantur supradicta ex auctoritate Baldi in
leg. Debitorum Cod. ex quibus caus. infam. irrogatur; ubi
docet cessationem ignominiosam irrogare infamiam.
Facit etiam doctrina Ludovici Gishufen in *Arbre
Judiciaria Criminali c. 1. n. 7. & 8.* ubi docet, quod istius
fustium per se non infamat, nisi quando ex causa fa-
mosa fustibus quis ceditur, neque enim omne turpe
factum infamat, sed id solum turpe famosum est,
quod jus notat, atque adeo ut maxime quis opinione
hominum laboret, infamis tamen non est. Hæc ille,
quæ multum confirmant nostram sententiam. Sed
hæc omnia disputationis causa dicta esse volo: Idem
tu cogita; Et quidem Cardinalis Tufchus *rem. 1. con-
clus. 227. num. 7.* putat cessationem ignominiosam in-
ducere infamiam facti, si non juris.

RESOL. LIX.

An qui laqueo se suspendit, & impeditur ab alio non
moritur, maneat irregularis? Ex *p. 4. tit. 2. Ref. 76.*

§. 1. Videtur negativè respondendum, quia con-
tra Majolum de *irregul. lib. 5. cap. 48. num. 5.*
secutum glossam ultimam in *cap. perniciosa, de penit.*
dist. 1. irregularitas imposita est homicidio voluntario,
& non attentato; ergo quamdiu quis non moritur,
licet se lethaliter vulneret, non erit irregularis, pe-
næ enim extendendæ non sunt, sed potius cor-
standæ ad proprietatem verborum legis: sed hoc
accidit in casu nostro, quia talis venit tantum in
actum proximum homicidii, illudque solum atten-
tavit: ergo, &c.

2. At his non obstantibus Petrus Cornejo in *3.*
part. D. Thom. tract. 5. de irregularitate, dist. 1. dub. 2.
quest. 4. num. 1. putat talem manere irregularem, non
ratione homicidii attentati, sed ratione delicti enor-
mis infamiam inducentis; sed tu cogita.

RESOL. LX.

An Damoniaci, Energumeni, Arreptitii sui irregu-
lares, si omnino à vexatione Damonis liberati sunt?
Et notatur, quod Damoniaci post Ordines susceptos illi
abstinere debent; ubi tamen curati fuerint iudicio Epi-
scopi & unius anni spatii liberi, poterunt sua officia
repetere.

Et quid est dicendum de amentibus, etiamsi amentia non
sit perpetua, sed ad tempus?

Et an in hac irregularitate possit Episcopus dispensare
non solum in Ordinibus susceptis sed ad alios susci-
piendos.

Et notatur amentem Ordinatam, si non licitè, tamen va-
lidè Ordinari.

Et tandem docetur, quod in Sacramento Baptismi, &
Ordinis non requiritur consensus aliquis de neces-
sitate Sacramenti. Ex *part. 11. tractat. 2. & Misc. 1.*
Resol. 67.

§. 1. Affi

§. 1. Affirmativè respondet Glossa in c. *Communiter*, d. 33, de *verf. iis*, Vgolinus cap. 55. §. 1. num. 4. Rosella verb. *vitiatus*, n. 3. Tabiena, Sylv. & Angel. verb. *corpore vitiatus*, Majol. lib. 2. c. 17. Sayr. lib. 6. c. 9. num. 14. Quibus subscribunt passim recentiores, affirmantque magno consensu Dæmoniaco etiam liberatum ea vexatione, non posse ad Ordines promoveri. Vide Hurtadum de *Irregular.* diff. 15. n. 54. & Cornejo in 3. part. tom. 2. tract. 5. de *Irregular.* disp. 13. Caspensem in *Curs. Theol.* tom. 2. tract. 35. disp. 5. sect. 10. num. 105.

2. Sed mihi magis placet opinio negativa Patris Godelini de *Irregular.* c. 3. quest. 2. contr. 8. num. 22. nisi ex memoria recentis morbi remanserit aliqua infamiae nota, & occasio offensionis. Etia tradit *Canon. 73. Apostolor.* Si quis dæmonem habeat, ne fiat Clericus, sed neque cum fidelibus preceatur, purgatus autem recipiatur, & si fuerit dignus fiat. Quid clarius? neque ullam exigunt dispensationem Apostoli sed indefinitè, & absolute pronuntiant, à dæmone liberatum, tum in consortio aliorum fidelium tum in Clerum admittendum esse, si aliunde dignus sit; itaque absolute exponunt Balsam. & Zonaras Monachus. Confirmatur, quia ratio propter quam arceatur à Clero dæmoniaco, est, ne furoris tempore Sacerdotium contumelia afficiatur, & divinum nomen blasphemis profcindatur, ut ait Balsam. & quia non potest non offendi populus, si quem scit Dæmone vexari, videat Sacra perficere, uti monet Gelasius *Epist. ad Episcopos Lucania* cap. 21. Et denique quia immundus censetur, qui Dæmoni præber hospitium ex Zonara.

3. Quæ rationes omnes cessant in eo qui liberatus omnino est: non vero in eo, qui per intervalla tantum furit, cum enim periculum sit, ne quo tempore ministrabit, furore corripatur, in Clerum cooptari non decet, quod sapienter advertit Balsam. qui idcirco ait longe aliam esse rationem participationis mysteriorum, & Sacrorum Ordinum; quamvis ab utraque ea susceptione dæmoniaco prohibeat hic Canon, quia loquitur de Energumeno qui perpetuo insanit, dum enim lucidis intervallis utitur, si tunc neque enuntiet, id est, prodar mysterium, quod arcanum erat, & solis quondam fidelibus explicatum, neque blasphemet, donari poterit Eucharistia, uti Timothy. Alexandr. respondet ad tertiam interrogationem, quam hac ratione cum isto Canone conciliant Balsamon & Zonaras.

4. Nec obstat cap. *Clerici*, & cap. *maritum* disp. 33, nam ad illa respondet Godelinus, & postea sic subdit; Maneat itaque quoddam asserimus, Dæmoniacos plene liberos in Clerum admitti posse ex Canone Apostolico, cui nulla posteriora jura derogarunt, ut falso dixit Suar. disp. 51. sect. 1. num. 7. cum nulla proferantur; quare non fuerit opus dispensatione, nisi quatenus erit penes Episcopum arbitrari, an omnino Energumenus ille sit perlanatus: addidi tamen, infamiam & scandalum, quod ex recenti vexatione generari posset, aliquando inducere hanc Irregularitatem, quæ est mens Gelasii cap. 21. *Epistola ad universos Lucania Episcopos*; atque hanc nostram sententiam docet, & communem esse contendit Bartholomæus ab Angelo, *Dialog.* 5. §. 180. c. 183.

5. Nota etiam; Dæmoniacos post Ordines susceptos illis abstinere debere, ubi tamen curati fuerint iudicio Episcopi, & unius anni spatio liberi, poterunt sua officia repetere. Ita omnes ex cap. *Communiter* d. 33. quod ut monui ex Concil. Tolet. 11. cap. 13. desumptum fuit; neque ullus abnuat; an vero ad ulteriorem ordinem promoveri valeant, liquet ex Superiiori assertionem, dicendumque omnino est

Tom. V.

id posse, si infamia non obstat, & prorsus perlanatus fuerint.

6. Sed quid dicendum de amentibus? Dico itaque quod amentia sine dubio constituit irregularem, non solum quando est perpetua, sed quando fuit ad tempus, ita ut licet sanitatem recuperaverit, adhuc sine dispensatione promoveri non possit; ut colligitur ex cap. *maritum* 33. disp. Et tradit ex communi Sanctus Antoninus 4. part. tit. 8. cap. 5. Majol. lib. 2. de *irregular.* cap. 14. Suar. disp. 51. sect. 1. num. 3. & 4. Sayrus lib. 6. thesauri, cap. 13. n. 3. Avila 7. part. disp. 3. dub. 4. Bonacin. tom. 1. disp. 7. de *irregular.* questione 2. part. 1. numero 1. & alii. Quod intelligendum est de amentia, quæ sit per modum habitus, scilicet fundata in naturali complexione, & propria organorum læsione, non de illa, quæ provenit ex aliqua febris, aut qualitate transeunte, quæ cessante cessat amentia: hæc enim secum trahit indecentiam, ut bene advertunt supra. In Clerico tamen jam promotio amentia non deiecit illum ab usu ordinis, nisi solum quamdiu durat, aut periculum in talem defectum incidendi, & aliquam Sacramento irreverentiam præstandi. Quapropter expedit ne absque iudicio Episcopi ordinibus ministrandis se immisceat, ut advertit Sayrus lib. 6. thesauri cap. 13. num. 3. in fine. Argument. cap. *Communiter* 33. disp.

7. In hac irregularitate existimat Majol. *disso lib. 2. cap. 14.* & indicat Sayrus supra, posse Episcopum dispensare non solum ad utendum ordinibus susceptis, sed etiam ad illos suscipiendos. Sed contrarium est probabilius solius Pontificis auctoritate posse ordinari, qui semel in amentiam per modum habitus cecidit, quia nullibi invenitur concessa Episcopo hæc potestas, ut notat Suarez de *censur.* disp. 51. sect. 1. num. 3. Bonacina aliis relatis *disput. 7. quest. 2. part. 2. num. 23.* Vide etiam Cornejo, & Hurtadum, ubi supra, qui etiam addit, quod qui post ordinationem incidit in furiam ex cerebri indispositione, aut in morbum caducum, poterit ministrare si possit absque periculo cadendi, imò quamvis sit aliquod periculum, si raro cadat, & non evomat spumas, poterit, adjuncto socio qui possit Missam perficere, si forte post consecrationem inceptam corripatur morbo.

8. Nota etiam hæc obiter, amentem ordinatum si non licet valide ordinari; nam ut observat Marchinus de *Sacrament. Ordinis tractat. 1. part. 4. cap. 4. numero 15.* in duobus Sacramentis tantum usus rationis perfectus requiritur ad valorem Sacramenti, nempe in Pœnitentia, & cuius materia sunt actus pœnitentis per proprium consensum: & in Sacramento matrimonii, quod includit pro materiali humanum contractum, qui mutuo contractentium consensu perficitur. At in aliis Sacramentis, præcipue in Baptismo, & Ordine non requiritur de necessitate Sacramenti consensus aliquis, ut constat in puero baptizato, & ordinato, idem amentem cap. *pacem esse Ordinationis docent Sanctus Thomas 3. part. in addit. quest. 30. art. 2. Reginaldus in foro pœnitentia tractat. 1. lib. 30. numero 30. Molfessius in Summa tractat. 2. cap. 16. numero 2. Sotus in 4. disputat. 25. question. 1. art. 2. vers. Contra banc vero conclusionem*, qui tamen loquitur de perpetuo amentibus; hoc est, qui nunquam usum rationis habuerunt.

9. Itaque dicendum est quædam esse Sacramenta, quorum materia sunt actus humani, ut in Pœnitentia actus pœnitentis, & in Matrimonio contractentium consensus: & hæc non possunt pueris, vel amentibus valide conferri; quia tunc deficeret

V 3 ipsa

ipsa Sacramenti materia. Alia verò sunt Sacramenta quæ habent pro materia rem aliquam inanimatam, ut Baptismus aquam; Ordo instrumenta tangenda; Eucharistia panem, & vinum; & sic de cæteris: & hæc possunt pueri, aut amentis validè conferri; quia eorum valor non pendet à voluntate suscipientis.

RESOL. LXI.

An mulier, quæ erumpente ipsa natura in masculinum transiit, possit Sacris ordinibus initiari, inconsulto Summo Pontifice?

Et quid de Hermaphrodito, in quo prævalet sexus virilis?

Et an ordinatus sub prævalente virili sexu, si postea feminæ prævaleat, & de facto proferat verba consecrationis panis, & vini supra debitam materiam, valide consecraret? Ex p. 10. tract. 13. & Misc. 3. Resol. 36.

Sup. contēto
in hac Ref.
in 10.4 tr 8.
Ref. 112. per
tot.

1. **P**osse hoc evenire, & sæpius evenisse, testatur eruditissimus Torrelblanca in *Præf. juris Spirituales*, lib. 5. cap. 9. num. 20. ubi sic ait: Quare non solum incallescendi vis immutatur viris, & feminis; sed naturæ quoque instrumenta sunt inversa, quia non modo nati infantes; sed ætate etiam procrecti in omnium oculis ex feminis Mares facti sunt, ut docent Hippocrates lib. 6. *Epidemiar.* c. 8. Galenus, lib. de usu part. & lib. de Anatom. administr. Aegineta, Avicenna, Rasis, & alii non contemnendæ lectionis. Quod ut verum omnino, & Philosophiæ consentaneum, rationique conformè apud varias nationes contigisse testes oculati fatentur, tam antiqui, quam recentiores; nam apud Chafios accidisse Anamistæ uxori Gorgippi, & Spoletanæ mulieri, & aliis, narrat historiarum Princeps Titus Livius ab urbe condit. lib. 42. plura Bauhin, ubi sup. Ut de muliere Cajetæ, quæ per quatuordecim annos nuptia piscatori, in virum migravit & de Emilia, quæ Antonio Spensæ nupta civi Ebulano post annum nuptiarum XII. in virum mutata, quæ soluto matrimonio, uxorem duxit & filios procreavit, ut narrat Iovian. Pontan. in hist. Neapolitan. Cocceius Sabellius lib. 9. exempl. Anton. Torquemat. in hort. dial. 1. Apud Lusitanos in oppido Ezgucyra Maria Pacheco, cum ejus ætatis esse inciperet, quæ feminis mæstrui fluores inchoantur, loco liquidi humoris, & locis ei membrum virile erupit, sicque ex puella subitq. adolescens ephæbus apparuit, & cum sexu vestitum virilem, & nomen assumpsit, vocatusque est Emanuel Pacheco, ut narrat Amatus Lusitanus cent. 2. cur. 39. Apud alios tamen similia contigisse in hæc verba testatur Plegeton *Mirab.* lib. 1. Virgo quædam Smyræ nata Philotis nomine, cum natura viro tradita esset à Parentibus, masculino enato membro in virum evasit. Quin, & Loadicæ, quæ est in Syria mulier Aetæa nomine etiam nunc cum marito degens, & femina vir extitit, cui nomen Aetæus præfide Athenis Marino, Romæ Confl. L. Lamia, & Aliano veteri. Hucusque Torrelblanca.

Sup. hoc in
xcl not præ
teritæ, § Ad
quid & in
rom. 7. tr. 1.
ref. 341. pro
p. fin. a vers.
igitur.

2. Hoc supposito, ad quæstionem propositam, affirmativè respondet Pater Leandrus, de *Sacram.* tom. 2. tract. 6. disp. 5. §. 7. Probatur Primò, quia talis olim femina, nunc verè est Vir: ergo potest ordinari. Secundo Hermaphroditus in quo prævalet sexus virilis, secundum Hurtadum de *irregul.* disp. 2. difficult. 14. & alios, potest ordinari: Ergo etiam & dicta mulier jam vir facta.

Sup. contēto
in hoc, &
seq. § into. 4.
tr. 8. Ref. 112.
§. 1. per tot.
& in §. Ad
quid.

3. Sed his omnibus ego non assentior; & mecum consentit doctus, & amicus Pater Lezana in *Summa* tom. 4. verb. *irregularitas*, num. 13. & 14. ubi sic ait: Ad hanc speciem irregularitatis reducitur illa, qua affecti sunt hermaphroditi, id est habentes utrumque

sexum masculi, & feminæ. Hi enim sicut alii monstrosi irregulares omnino sunt. Nam si æque pollent utroque sexu vel femininus prævaleat, omnino incipaces Ordinum sunt, cum non sint viri, sed feminæ, vel neutrum. Navarrus *supra* num. 203. Sayrus lib. 6. cap. 8. Cornejo *supra* disp. 12. Si verò in ipsis prævalet masculinus sexus, licet absolute tales capaces Ordinum sint, quia sunt verè viri, quia tamen indecens omnino est, quod ad Altaris ministerium assumantur talia monstra, maxime si defectus publicus sit; idè admitti non possunt ad Ordines Sacros, nisi ex Papæ dispensatione similiter de femina in virum conversa (quem casum sæpius contigisse historici narrant) idem dicendum est, absolute scilicet esse incapaces Ordinum, cum re vera talis persona masculus sit. Cornejo, & Bonacina *supra* ex Suarez; Filiucio, & aliis. Non tamen ullatenus admitti debet ad illos, propter maximam indecentiam, quæ esset, quod in Altari minister is, qui aliquando femina fuit, ita Lezana.

4. Et quidem de Hermaphrodito ita fert communis sententia contra Hurtadum, ut glossa, & Archidiaconus in cap. *Si testis verb.* Hermaphroditus, 4. *quest.* 3. Navarrus cap. 27. n. 203. & consil. 8. de *ave.* & *qualit.* ordinandor. Suarez disp. 51. *sect.* 1. num. 1. Sayrus lib. 6. *de heret.* c. 8. n. 24. Bonacina tom. 1. *disp.* 7. §. 2. *punct.* 2. num. 15. quia negari nequit eam monstruositatem indecentiam continere, in quo defectu nullus alius à Pontifice dispensare potest, ut alios referens notat Avila *p. 7. de Censur.* *disp.* 3. *de 5. Castris* Palaus tom. 6. *disp.* 6. *punct.* 12. num. 1. & Mezila in 3. *part. Instit.* Peregrin. lib. 7. cap. 1. *quest.* 3. num. 13.

5. Ad argumentum Patris Leandri, respondeo; Mulierem illam, quæ natura erumpente transiit in Virum, verè esse virum: ergo potest ordinari; nego Consequentiam; quia est quidem Vir, sed cum maxima deformitate, & indecentia: ergo eget dispensatione Pontificia. Et idem assero de Hermaphrodito, quod etiam, præter Doctores citatos tenet Dicaltillo de *Sacram.* tom. 1. tract. 6. *disp.* 1. *dub.* 20. num. 292. qui postea numero 293. curiosum dabitur proferat, an Or. Sup. hactenus sub prævalente virili sexu, at postea femineus prævaleat, si de facto proferat verba Consecrationis Panis & vini supra debitam materiam valide consecraret? Et opinioni affirmativæ tanquam probabiliori adhæret: Nam licet ad primò conferendam potestatem Sacerdotalem, & characterem, requiratur sexus virilis, saltem prævalens: tamen ad retinendum characterem semel in anima impressum, non videtur requiri, neque ad retinendum potestatem. Imò à paritate non viator possumus argumentum sumere; si enim non viator retinet suum characterem, & potestatem quam acceperat dum viator esset, eamque non amittit, quia acceperat in tempore, quo erat capax accipiendi; ita similiter in Hermaphrodito philosophandum est. Pro parte verò negativa videtur facere, si non institutio ipsa Sacramenti, (quæ in fieri consistit, & quando Sacramentum fiebat subiectum erat capax:) saltem institutio gradus Sacerdotalis, quæ virum requirit, ut talem gradum habeat, nec enim Christus instituit Presbyteras, sed Presbyteros. Unde fit, actionem illam consecrandi non habere effectum, quia actio consecrandi debet fieri à Presbytero, & illa, cum sit simpliciter femina, non est Presbyter.

RESOL. LXII.

An qui habet in manu sex digitos conjunctos, vel diversos si non habet impedimentum in usum membri, sit irregularis?